

Heinrich Müller Hieronymus Plohstius

## **De Poenitentia eiusq[ue] Partibus In Genere Positiones Theologicae**

Rostochi[i]: Kilius, 1665


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740044613>


Druck Freier  Zugang




RU theol. Jan.1665

Müller, Henr.







De  
P O E N I T E N T I A

ejusq;  
P A R T I B U S

In Genere  
Positiones Theologicae,

Quas  
D E O B e n e d i c e n t e

&  
Collegio Theologorum in Acad. Ro-  
stochiensis consentiente,  
SUB PRÆSIDIO

D. H E N R I C I M Ü L L E R I,

Facultatis Theol. hodie DECANI,

& ad Div. Mariæ Pastoris,

*In Auditorio Majori d. Januar.*

Defendet Publicè


H I E R O N Y M U S P L O H S T I U S,

Pritzwald. March.



R O S T O C H I,

Typis JOHANNIS KILII, Acad Typogr. Anno 1665.





## DE POENITENTIA, EJUSQ; PARTIBUS IN GENERE.

§. I.



Non patitur conditio fragilitatis, esse quæquam sine macula. Ultimum ergo remedium illud est, ut confugiamus ad Pœnitentiam; ut cum forte aut re, aut verbo lapsi fuerimus, statim resipiscamus, aut nos deliquisse fateamur, oremusq; à Deo veniam, quam pro sua misericordia non negabit, nisi perseverabimus in errore.

Magnum est Pœnitentiæ auxilium, magnum solatium. Illa est vulnerum, peccatorumq; sanatio; illa spes, illa portus salutis; quam qui tollit, viam vitæ sibi amputat: quia nemo esse tam justus potest, ut nunquam sit ei Pœnitentia necessaria. *Et verè hæc & concinnè loquitur Lucius Cælius Lactantius Firmianus Epitom. c. VIII.*

§. 2. *Hinc tota Christianorum vita perpetua est Pœnitentia, ut loquitur Lutherus in propositionibus de indulgent: contra Tezelium editis th. 1. ita ut sublata pœnitentia & spe veniæ tollatur simul omnis spes salutis.*

§. 3. *Patrum nonnulli Pœnitentiam secundam post naufragium tabulam vocant. Tertullianus l. de Pœnit. c. IV. Pœnitentiam*

A

tentiam



tentiam peccator ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. *Ambrosius l. ad Virg. laps.* (siquidem is *Ambrosii est, quod Bellarmino non videtur l. de Script. Eccl. ad ann. C. 300.*) Tu, quæ jam ingressa es agonem Pœnitentiæ, insiste misera fortiter, inhære tanquam naufragus tabulæ. *Hieronymus Epist. VIII. ad Demetriadem de serv. Virgin. c. 6.* Illa (Pœnitentia) quasi secunda post naufragium miseris tabula sit. Sed non id eo sensu dictum volunt, ac si fœdus in Baptismo initum temporarium sit, & per peccata prorsus elidatur, ut contendunt Pontificii; verum quod per Pœnitentiam ad pristinum fœdus subinde nobis reditus pateat.

§. 4. Pœnitentiam qui ex nostris à Pœna dictam volunt, non id intelligunt sensu Papistico de Pœnis externis, quibus sibi ipsi impositis pro peccatis suis Deo satisfacere attentet peccator pœnitens; sed sensu orthodoxo de doloribus cordis contriti, quos peccator sub reatu pœnarum temporalium & aternarum constitutum se audiens intus sentiat.

§. 5. Vox Pœnitentiæ accipitur vel μετάνοια pro sola contritione *Marc. I, 10.* vel ὀλικός pro toto conversionis apotelesmate, constante & dolore ob peccatum & fide in Christum *Act. XXVI, 20.* quæ consideratio est h. l.

§. 6. *Bezæ* in notis ad *Matth. III, 2.* nodum in scirpo quærens distinguit inter μετάνοια & μετμελεία; illam vocat resipiscentiam, hanc pœnitentiam; illam dicit semper in bonam partem accipi & vitæ simul atque consilii in melius mutationem notare, hanc autem etiam in vitio usurpari & simpliciter δυσπρόσιτον s. displicentiam post factum significare. Hinc orta distinctio pœnitentiæ in legalem & evangelicam, ut legalis sit μετμελεία, evangelica autem μετάνοια. At Scriptura voce μετμελεία, etiam tunc utitur, quando de integra eaq; salutaris pœnitentiæ loquitur *Matth. XXII, 29. 32.* & contra vocem μετάνοια subinde pro sola contritione usurpat *Act. XX, 21.*

§. 7. Pœ

3  
§. 7. *Pœnitentia alia est in gratia stantium, alia extra gratiam positorum: Illa per omnem vitam, hæc in gravioribus lapsibus locum habet; illi obijciuntur peccata etiam infirmitatis, huic peccata mortalia.*

§. 8. *De pœnitentiam lapsorum contra Photinianos abs nobis prolixius est evictum Semic. I. Quæst. Theol. qv. XLV. p. 177.*

§. 9. *Subjectum Pœnitentiæ sunt omnes homines etiam verè credentes, quod an conveniat cum hypothesis eorum qui negant verè credentes & regenitos à fide justificante, gratia & salute totaliter & finaliter excidere posse, uti loquuntur Dordrechtani in Act. Synod. p. 373. quibus obviam ivimus l. c. qv. XLIII. p. 169. hæcenus dubitamus.*

§. 10. *Pœnitentia est conversio hominis peccatoris, qua corde compunctus & de peccatis ex lege agnitis seriò dolens ad Christum in Evangelio ostensum verà fide confugit, pacemq; & gaudium conscientia accipit.*

§. 11. *Pœnitentia externis signis prodita non est Sacramentum N. T. ut quidem vult Bellarminus l. I. de Pœn. c. 8. Nam 1. destituitur externo & visibili elemento divinitus instituto. Confessio pœnitentis, quàm Bellarminus l. I. de Pœnit. c. 8 pro visibili elemento venditat, actio est, non signum; audibilis, non visibilis 2. requirit ad essentiam & integritatem suam fidem, quæ non nisi ad salutarem Sacramentorum usum requiritur. 3. Ante adventum Christi sub V. T. fuit usitata, nec Christum in N. T. habet primum institutorem, ut Baptismus & S. Cœna.*

§. 12. *Lutherus in libr. de capt. Babyl. tria numerat Sacramenta, Baptismum, Cœnam Domini & Absolutionem. Et Apologia A. C. c. de num. Sacram. Verè, inquit, sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini & Absolutio. Nam hi ritus Dei mandatum habent. Loquuntur hi ex hypothesis, si nempe cum quibusdam veteribus Doctoribus Sacramenti nomen latè accipiamus, &*

4  
καθ' ὁμοιωσιν finis atque usus, quem pœnitentia cum Sacramentis communem habet, quæ est confirmatio nostræ fidei, imprimis autem quia per absolutionem privatam non generaliter tantum, ut in concione Evangelii, sed & singulis speciatim applicatur promissio. Unde Lutherus l. c. mox subjicit: Si rigidè loqui volumus, duo tantùm sunt Sacramenta, Baptismus & Panis.

§. 13. Nimirum ritus ille externus absolutionis sacerdotalis in Ecclesia receptus Sacramentum appellari potest, quia de re sacra s. remissione peccatorum divinitus facta testatur.

§. 14. Mutatio mentis non potest esse genus in definitione Pœnitentia, ut vult Smalzius contra Franz, disp. de Pœnit. Ursinus quest. Catech. 90. 90. nec renovatio, quod placet Calvinol. III. Inst. c. 3. quia utraqve non constituit, sed consequitur Pœnitentiam.

§. 15. Potest quidem Pœnitentia sano sensu dici mutatio mentis, quia tunc mens mutatur, quando quis dolet de peccato, quo antea delectabatur, ab eoq. liberari desiderat: at sic non est nisi genus remotum, quod vitiosè ponitur in definitione. In quavis re possumus mutare mentem, sed non in quavis mutatione nos convertimus ad Deum.

§. 16. Vulgare illud; Nicht mehr thun wollen ist die beste Buße/ de Pœnitentia & satisfactione vel ecclesiastica vel politica in vita communi intelligendum est.

§. 17. Caterum omnis conversio versatur inter duos terminos, à quo & ad quem. Hinc duplex in Pœnitentia motus; recessus à peccatis & accessus ad Deum: ille fit per contritionem, hic per fidem: utramque operatur Deus per verbum, contritionem per legem; fidem per Evangelium.

§. 18. Partes ergò Pœnitentia sunt contritio & fides, per quas formaliter fit tota conversio. Marc. I. 5. Act. XXVI, 20.

§. 19. Contritionem prout notat terrorem conscientia per legem excitatum & exinde ortum dolorem de admissis peccatis, aliquo modo requiri

requiri ad Pœnitentiam, vel eam præcedere concedunt Pontificiis atque Calvinianorum nonnulli, sed partem ejus propriè dictam esse negant. Bellarminus l. I. de Pœnit. c. 19. Ferror, inquit, animo incensus à lege, quem Lutherani contritionem s. mortificationem appellant, non rectè inter partes Pœnitentiæ numeratur. Ursinus l. c. Contritio conversionem præcedit, nec est ipsa conversio, nec etiam pars illius, sed tantum præparatio ad conversionem, & quidem in solis electis, non in aliis.

§. 20. Notandum autem, quod duplicem contritionem agnoscant Calviniani, unam, quam dicunt effectum fidei, & hanc suo modo ad Pœnitentiam referunt; alteram, quam docent præcedere fidem, & hanc negant esse partem Pœnitentiæ. Ex confusione hujus distinctionis fucum nobis facit Massonius l. IV. Anatom. c. 7. asserens Calvinianos contritionem facere partem Pœnitentiæ.

§. 21. Certe I. quod faciendo formaliter quis veram Pœnitentiam agit, id est pœnitentia, vel pars ejus. Sed agnoscendo peccata & super iis erubescendo &c. Jer. XXXI, 18. 19. II. Quod fidem & remissionem peccatorum præcedit, & ad ipsam quandam relationem habet, id est agnitio peccati & contritio: quia præter contritionem nihil excogitari potest, quod fidem præcedat in homine convertendo & ad remissionem peccatorum referatur. Atque aliquid pertinens ad Pœnitentiam &c. Marc. I, 15. Luc. XXIV, 47. Act. XX, 21.

§. 22. II. Cor. VII, 10. tristitia secundum Deum notat dolorem de admittis peccatis, sed conjunctum cum vivifica consolatione Spiritus S. cujus per fidem in Christum reddimur participes. Hanc distinguit Paulus à Pœnitentia ad salutem non simpliciter, sed ratione perfectionis & stabilitatis, itemq; pœnitentia infrugifera & exitialis, hoc sensu: Pœnitentia salutaris inchoata per tristitiam secundum Deum efficit pœnitentiam ad salutem perfectam & stabilem, non infrugiferam pœnitentiam mundi. Vox *καταρτιστικὴ* sapiusculè non productionem, sed perfectionem designat. Rom. IV, 15. c. V, 3.

§. 23. *Fidem in Christum precedere pœnitentiã tanquam causam, vel etiã cum illa conjunctã esse concedunt Pontifici & Calvinianorum quidam; eã consequi pœnitentiã, contendunt Photiniani.* Bellarminus l. I. de Pœnit. c. 19 Fides, inquit, non est pars pœnitentiã, licet ad eã efficiendam necessariò requiratur. Conf. Gregorius de Valentia disp. VII. qv. 7. Calvinus l. III. Inst. c. 3. dicit: Qvòd fidem sub pœnitentiã complectuntur, pugnat cum eo, qvòd Paulus in Actis dicit, se Judæis & Gentibus testificatum in Deum pœnitentiã & fidem in Jesum Christum; ubi tanquam duo diversa pœnitentiã & fidem enumerat. Quid igitur? an vera pœnitentiã sine fide consistere potest? Minimè. Verùm etsi separari non possunt, distingvi tamen debent: qvè admodum sine spe fides non est, & tamen fides & spes varia sunt. Conf. Ursinus expl. Catech. part. III. qv. 90. Ex Photinianis Smalzius disp. de Pœnit. Dicimus, inquit, ea ad pœnitentiã descriptionem addi, qvæ nihil cum ea commune habent: hæc enim applicatio, s. spes misericordiã Dei & remissionis peccatorum consequens potius qvoddam pœnitentiã est ex novo fœdere dependens, qvã ut ipsã pœnitentiã qvòqvo modo constituat.

§. 24. *Massonius qvidem part. IV. Anat. c. 21 dicit Calvinum & Beza non negare qvòd fides sit pars pœnitentiã, si hæc pro tota conversione sumatur.* Wendelinus quoque l. I. Christ. Theol. c. 26. suos vult idem dicere nobiscum, licet sub diversis nominibus s. notionibus. At vanum hoc est, cum non sit questio an suo modo fides sit conjuncta cum pœnitentiã salutari, vel spectetur in toto conversionis actu, in qvo multa etiã alia considerari possunt: sed an verè pars pœnitentiã sit constituens, qvòd negare Calvinum & Beza qvi non videt, certè nihil videt.

§. 25. *Nos ad pœnitentiã salutarem fidem tanquam partem essentiãlem requiri nulli dubitamus. Omnino I. Per qvòd tanquam*

quam instrumentum à nostra parte obtinemus remissionem peccatorum, id includit fidem tanquam partem constituentem. Rom, III, 28. c. IV, 5. Per pœnitentiam & c. Matt. III, 19. c. XI, 18. II. Id omne per quod appropinquamus & proximè convertimus nos ad Deum, includit fidem tanquam partem. Rom. V, 2. Eph. II, 12. Hebr. XI, 6. Per pœnitentiam & c. Act. XX, 21. c. XXVI, 20. III. Differentia specifica distinguens salutarem pœnitentiam ab exitiali est pars constituens veræ Deoq; acceptæ pœnitentiæ. Fides salvifica & c.

§. 26. Marc. I, 15. & Act. XX, 21. Fides à pœnitentiâ non distinguitur ut aliud quid, nisi velimus dicere Act. III, 19. c. XXVI, 20. conversionem ad Deum distingvi à pœnitentiâ tanquam aliud quid. Copulativa rei non semper adversativa est, sed nonnunquam exegetica Luc. I, 17. Rom. XV, 10. I. Cor. XI, 22. Et talis equidem exegetica h. cc. necessaria erat. Neque enim scire potuerunt gentiles, quid sit pœnitentiâ & quomodo agenda, nisi explicatio addita fuisset, quod consistat in fide in Christum. Ut taceam, vocem pœnitentiæ, cum videtur contradistingvi fidei, utpl. notare alteram pœnitentiæ partem, nempe contritionem, quæ etiam voce pœnitentiæ commodè notatur.

§. 27. Fidem priorem esse pœnitentiâ si maximè concedamus, exinde tamen non sequitur, quod non possit esse pars pœnitentiæ. Quæ integrantur ex aggregatione partium, eorum pars plerumque toto prior est, non tamen ideo pars non est. Præcedit fides pœnitentiâ, ut causa effectum, quoad actum assensus: continetur autem eadem ut pars ratione fiducia in misericordia Dei & Christi merito collocata.

§. 28. Caterum sicut certum est, prout fides ad sensum significat verbo Dei habitum, motum fidei præcedere motum contritionis, quia ejus causa est; ita contra prout eadem fiduciam, quo ad misericordiam Dei confugitur, designat,

8  
gnat, omninò non prior, sed posterior contritione esse videtur. Nam I. confugere ad misericordiam Dei pro impetranda remissione peccatorum suorum nemo recte potest, nisi quem peccatorum pœnitet, i. e. ea agnoscit & detestatur, cum talibus & non aliis remissio promissa sit. Perfugium ergò illud ad misericordiam ejus & fiducia, cum qua ad illum confugitur, agnitione & detestatione peccati posterior est. 2. Fiducia misericordiæ divinæ ad pœnitentiam, ideò etiam requiritur, ne homo, dum propter peccata sua dolet, redundante tristitia absorbeat. Atqui motus ille fiduciæ, qua animus anxius erigitur, ipse dolore illo posterior est. Dixi tamen, ira omninò videri. Nam si quis motum contritionis non tam motum fiduciæ precedere, quam arctè cum eo conjunctum esse dicat, ut, qui rectè pœnitentiam agit, hinc de peccato doleat, dum justitiam & iram Dei timet, inde remissionem peccati speret, dum in magnitudine misericordiæ ejus & Christi merito confidit, cum eo contendendum hac de re non fuerit, quod conjuncta illa esse & alterum ab altero non segregari sufficiat, *uti præclare loquitur B. Horneus in compend. Theol. l. II. c. 4. §. 202.*

§. 29. *Novam obedientiam pœnitentiæ partem faciunt Photiniani. Smalzius contra Franzium de Pœnit. sect. 5. novam obedientiam vocat essentialem partem pœnitentiæ, quæ ferè sola sit essentia pœnitentiæ. Ex Pontificiis Bellarminus etsi non omnia bona opera ad pœnitentiam constituendam referat, refert tamen quædam. Lib. I. de pœnit. c. 19. prop. 3. sic loquitur: Non sunt omnia bona opera, quæ post justificationem fiunt, inter partes pœnitentiæ numeranda. Sed paulò post; Non volumus autem negare, inquit, quin propositum bonè vivendi pertineat ad pœnitentiam, neque etiam, quin opera quædam bona, quæ ad eum finem tendunt, ut vel pœnitentia interior ostendatur,*

datur, vel pro peccatis satisfiat, in partibus pœnitentiæ numerentur. *Ex Reformatis Wendelinus l. I. Theol. Christ. c. 20. pro isdem habet sanctificationem, pœnitentiam, renovationem.*

S. 30. Nos equidem non urgemus separationem nova obedientiæ à pœnitentiâ vera, cujus illa est perpetuum quoddam & necessarium consequens, sic ut ab operibus tanquam fructibus in Scriptura describatur pœnitentiâ Ps. XXXVII, 27. Es. I, 16. volumus tamen distingui ea ut causam & effectum, veluti Sol distinguitur à radiis, qui tamen ab eo non separantur. Matth. VII, 17. Act. XXVI, 20. Apoc. II, 5.

S. 31. Certum est novam obedientiam consequi pœnitentiâ, tanquam effectum. Matt. III, 28. Act. XXVI, 20. At nec effectus causa, nec consecutivum potest esse constitutivum. Certum quoque est, pœnitentiâ ordinatam esse ad consequendam remissionem peccatorum: At per bona opera nemo justificatur Gal. II, 16. & qui bene operatur, habet jam remissionem peccatorum.

S. 32. Abs Sententiâ hac nunquam discessit Lutherus cum discipulis. Quando autem Apologia A. C. art. 12. inquit; Si quis adde-  
dere velit tertiam partem, videlicet fructus dignos pœnitentiâ, non refragabimur. Et Philippus in examine ordinandorum novam obedientiam pœnitentiâ partibus annumerat, in eo respiciunt nexum indissolubilem inter pœnitentiâ veram & novam obedientiam, & per partes intelligunt non tantum constituentia, verum etiam consequentiâ pœnitentiâ, tum propter Antinomias, necessitatem bonorum operum negantes; tum propter Anabaptistas afferentes fidem consistere posse cum lapsibus contra conscientiam; tum denique propter accusationem Concilii Tridentini Ecclesias nostras insimulantis qf. doceant fidem omnis pietatis expertem.

S. 33. Calviniani communiter duas pœnitentiâ partes constituent, Mortificationem veteris, & vivificationem novi hominis. Per illam intelligunt abnegationem & abolitionem pravitatis nobis connata; per hanc serium ac promptum studium instituendi vitam

B

juxta



*juxta voluntatem Dei. Ad illam referunt agnitionem peccati & ira Dei, dolorem ob peccatum, detestationem & fugam peccati; ad hanc agnitionem & applicationem misericordiae Dei in Christo, latitiam inde ortam de Deo per Christum placato, & obedientia inchoata atque perficienda; novam obedientiam. Videantur Calvinus l. III. Inst. c. 3. §. 8. Beza volum. 1. fol. 328. Ursinus expl. Catech. part. III. qu. 99. Wendelinus & Massonius ll. cc.*

*§. 34. Non diffitemur cum D. Philippo etiam ex nostratibus quosdam ita locutos, sed non eo sensu. Nimirum anagogice illi per mortificationem intellexerunt contritionem, per vivificationem metonymice acceperunt fidem, ex qua consolatio viva & pax conscientiae oritur: Proprie autem mortificatio notat cessationem ab impietate, & vivificatio studium novae obedientiae.*

*§. 35. Hoc sensu mortificatio & vivificatio non sunt partes poenitentiae, sed fructus. Omnis vera poenitentia scilicet conversio ad Deum justificationem praecedit Ezech. XVIII, 21. Act. III, 19. Mortificatio autem veteris & vivificatio novi hominis eam demum insequitur Rom. VI, 22. Poenitentia lapsorum est remedium pro solis peccatoribus in peccato harentibus Luc. V, 31. 32. c. XV, 1. Hebr. VI, 1. Mortificatio autem & vivificatio remedium sunt pro justificatis, ut crescant in bonis operibus II. Cor. IV, 16.*

*§. 36. Locus Eph. IV, 22. 23. 24. non probat quod probare debet, tum quia de renovatione agit, non poenitentia; tum quia Paulus alloquitur conversos, qui jam didicerant Christum, v. 20. eosque hortatur non ut convertantur, sed ut crescant in pietate, v. 15.*

*§. 37. Laudamus interim Piscatorem, qui ingenue loc. XXIV. th. 49. Illa distributio, inquit, non satis logica videtur, quae pro partibus poenitentiae statuuntur mortificatio carnis & vivificatio Spiritus, scilicet fuga mali & consecratio boni; sunt enim haec non partes poenitentiae sed novae obedientiae, & proinde poenitentiae effecta.*

*§. 38. Ponti-*

§. 38. Pontificii tres faciunt pœnitentiæ partes, contritionem cordis, confessionem oris & satisfactionem operis. Tres sunt, inquit Bellarminus l. I. de Pœn. c. 19. prop. 5. partes pœnitentiæ, contritio, confessio, satisfactio, additq; in eo Catholicos omnes convenire. Conf. Concilium Tridentinum Sess. XIV. c. 3. At vero ne! insigniter errant. Judas hæc, quæ requirunt Pontificii, cuncta præstitit. Contritus est, confessus est Sacerdotibus, satisfecit opere, argentum abjiciendo in templum. Pontificiam igitur pœnitentiam totam habuit; & tamen veram non habuit. Pontificia itaque vera non est. In causa certè est defectus fidei. Verba sunt B. D. G. Calixti de Pœnit.

§. 37. Satisfactio respectu Dei non est aliud quod à contritione & confessione, si fides adsit, cum ipsa contritio & confessio suo modo sit apud Deum quædam quasi satisfactio.

§. 39. De contritione & confessione suo loco dicitur. Satisfactio in primitiva Ecclesia erat tum publica, tum privata.

§. 40. Publica canonica, ecclesiastica erat pars discipline ecclesiastica, quæ peccantibus & Ecclesie scandalum præbentibus castigationes imponebantur, non ut iis peccata coràm Deo expiarentur, sed ut exploraretur, an seria & vera esset pœnitentia, ut ecclesie satisfaceret, & alii hac ratione ab ejusmodi peccatis deterrentur; Privata erat, quæ proximo verbis vel factis læso satisfaciebant per deprecationem, ablati restitutionem, vel aliam compensationem. Hanc satisfactionem nos nequaquam improbamus.

§. 41. At Pontificii Satisfactionem suam, quam partem pœnitentiæ faciunt, ita describunt, ut contendant eâ Deo satisfieri, si non pro culpa, tamen pro pœna. Bellarminus l. IV. de pœnit. c. 1. dicit, Satisfactionem nihil esse aliud, quam actionem, quâ is qui alterum læsit, tantum facit quantum satis est ad injuriam compensandam, s. quantum is, qui læsus est, justè exigit; Sed addit paulò post; Deo nihil restitui potest, cum ipse nul-

lum damnatum patiatur, potest tamen eidem satisfieri, cum injuria à nobis afficitur. *Ad hoc èd melius percipiendum, distinguit inter duplicem justitiam & æqualitatem; Alia, inquit, justitia est, quæ versatur in absoluta & perfecta æqualitate, cum tantum honoris unus alteri tribuit, quantum ejus dignitas absolutè exigit: hac ratione negat Deo satisfieri posse. Alia, ait, est justitia, quæ non consistit in absoluta & perfecta æqualitate sed imperfecta, quæ ex pacto, aut donatione vel acceptatione alterius pendet, & hac ratione vult Deo satisfieri. Ulterius tamen distinguit inter justitiam & amicitiam, dicitq; satisfactione justitiam & amicitiam læsi restaurari posse apud homines, sed qui peccat in Deum, illum pro amicitia reformanda non posse satisfacere, sed tantum pro justitia, h. e. ut ipse explicat, non posse eum satisfacere pro culpa, sed tantum pro pœna, quæ remaneat post remissionem culpam.*

S. 42. *Ex antiquioribus haut desuere, quò doctuerunt hominem non tantum pro pœna, sed & pro culpa satisfacere posse, quò pertinent ex Scholasticis illi, qui Christum tantum pro originali peccato satisfacisse contenderunt, nobis ipsis autem satisfaciendum esse pro peccatis actualibus, ita tamen ut ista satisfactio complementum accipiat à satisfactione Christi. Videantur Thomas opus. XVIII. de Sacram. alt. c. 1. Bonaventura l. III. Sent. dist. 20. qv. 3. Andreas Vega l. XIII. in Concil. Trid. c. 36. At Bellarminus cum recentioribus tantum pro pœna posse hominem satisfacere statuit. Conf. Costerus in Enchirid. c. XI,*

S. 43. *Ad stabiliendum hoc dogma, multis utitur falsis hypothesis Bellarminus, ut 1. quod remissa culpa maneat interdum debitum luenda pœna temporalis. 2. Quod reatus pœna temporalis, qui interdum remanet post amicitiam cum Deo reformatam, bonis operibus redimi possit. 3. Quod opera laboriosa, quibus pœna temporalis expiatur, sponte suscipi possint, ut jejunium, eleemosyna, Oratio.*  
4. Quod

13

Quod opera satisfactoria pœnitentibus à Sacerdotibus rectè injungi possint. 5. Quod verè nos Deo satisfacere possimus pro reatu pœnæ temporalis.

S. 44. At supposita hæc omnia falsa sunt. Falsum est de mta culpa restare pro quo satisfaciendum est. Neque enim satisfit pro pœna, sed pœna satisficit pro culpa. Exempto reatu remittitur & pœna, inquit Tertullianus libr. de Bapt. c. V. Injustus est, qui eum cruciat, qui caret culpa. Remittere culpam nihil aliud est, quam eam non punire, ut docet Scotus in IV. dist. XXII. qu. I. Ridiculus esset judex, qui reo absoluto diceret, remitto tibi crimen, at non pœnam. Remittit Deus per Christum placatus totum debitum, quomodo ergò potest exigere solutionem? Christus pœnam culpe nostræ debitam tulit, & dum tulit abstulit. Suscipiendo pœnam & non suscipiendo culpam, & culpam delevit & pœnam, ut ait Augustinus Serm. XXVII. de Verb. Dom. Fatemur quidem post remissam culpam Deum castigare suos. At castigationes hæc non sunt satisfactiones, sed commonefactiones, non pœna, sed medicina, quibus carere pœna esset longè gravior: maxima pœna est à Deo non corripì salutariter. Correptionibus his Deus non sibi satisficit ob præterita, sed nos erudit in futurum. Pœnæ ante remissionem peccatorum sunt supplicia peccatorum, post remissionem sunt certamina exercitationesq; justorum, inquit Augustinus l. II. de Merit & remiss. pec. c. 34.

S. 45. Quam pessimè verò inter pœnas onerosas & molestas, quibus Deo satisfit, referuntur bona opera, elemosynæ, oratio, quæ à piis cum voluptate peraguntur. Sic Deo servire pœna erit. Hæc est Sathanæ non postrema astutia: virtutes pœnis accensere, ut fiant odiosæ, quasi supplicii quoddam genus esset pium esse. Quapropter impetrant supersticiosi à Papa indulgentias, per quas ipsis gratia fiat horum operum, &

ut vulgò loquuntur, ab his pœnitentiis impetratur dispensatio, sunt verba Petri Molinaei disp. de satisf. hum. §. 17.

§. 46. Falsum est, quod reatus pœna temporalis bonis operibus redimi possit. Certè opera nostra, quæ imperfecta sunt ob perpetuam Spiritus & carnis luctam, nullo modo satisfacere possunt perfectissima justitiæ divina.

§. 47. Falsum est quod opera bona, quibus reatus pœnae temporalis expiatur, & à nobis sponte suscipi, & nobis à Sacerdotibus rectè injungi possint. Si sponte suscipiuntur abs nobis, eum in finem ut redimamus pœnas temporales, & cultum exhibemus Deo electitium, & nobis mediatoris partes arrogamus; si injunguntur à Sacerdotibus, confusio oritur clavæ solventis & ligantis, atq; Sacerdos clave solvente ligat, quod absurdum.

§. 48. Cardo causæ est, quod frustra quaruntur alia satisfactiones, cum præsto sit perfectissima Christi satisfactio. Meritum Christi aut sufficiens satisfactio est pro culpa & pro pœna, aut insufficientis, illud concedit Bellarminus; hoc enim dicere non potest absq; manifesta Blasphemia: At si nos post sufficientem satisfactionem adhuc satisfaciamus, inanis & inutilis erit satisfactio aut prior aut posterior. Quinimò injustus erit DEUS; semel enim sufficienter & abundanter satisfactum. Si à nobis iterum satisfieri velit, bis in idem vindicabit, & similis erit tyranno, B. D. Calixtus disp. de pœnit. §. XXCVII.

§. 49. Frustra sunt cum docent Christi satisfactionem per nostras satisfactiones nobis applicari. Neq; enim DEUS contrarium per contrarium applicat. Non confert remissionem peccatorum per pœnam. Non applicatur perfecta Christi satisfactio per aliam satisfactionem, quæ derogat Christi satisfactio. Idem implicaret contradictionem. Quis unquam lucem applicavit per tenebras, aut salutaris medicinam per propinationem veneni? Per verbum

& Sa-

19

Et sacramenta applicari nobis beneficia Christi docemur ex Scriptura, non vero per proprias satisfactiones.

S. 50. Pari errore censent, Sanguinem Christi dare efficaciam nostrae satisfactioni. Non ideo Christus mortuus est, ut nobis daret vires satisfaciendi, sed ut pro nobis satisfaceret. Non nos redemit ut ipsi essemus nostri redemptores. Cur enim largiretur vires faciendi id quod jam factum est? Ob id ipsum satisfecit justitia divina, ne teneremur nos satisfacere per poenas. Quapropter frontem perfricat V asqvetz, quando in III. parti. Thom. qu. XLIV. art. I. Constat, inquit, nos debere pro illa culpa satisfacere: quod si debemus satisfacere pro tota illa, nihil ergo nobis condonatur favore etiam ipsius Christi, sed favore illius datur ut satisfaciamus. Quid exinde aliud sequitur, quam Christum pro nobis non satisfecisse? Nam aliud est onus ferre ipsum, aliud ferendi onus vim afferre nobis. Quemadmodum causis secundis, quae immediate effectum attingunt, adscribendus est effectus: sic homini, utpotè immediate satisfaciendi, adscribenda erit redemptio sua. Ad haec, estne hic favor Christi, quo severissimam Dei vindictam experiris in Purgatorio? dignus certe ejusmodi favore, qui favori Dei satisfactiones tuas attexis.

S. 51. Ex Scriptura nullum haecenus pro probandis satisfactionibus humanis adduxerunt locum adversarii, qui de redemptione poenae, culpa remissione praesupposita, agat: nullum, qui vel operis poenalis liberè electi, vel satisfactionis mentionem injiciat. Quae afferuntur, quibus et quo ordine, non autem propter quia peccata velit remittere DEUS indignant; atque sic describunt poenitentiam veram à suis fructibus ut eam à quavis alia hypocritica discretam velint.

S. 52. Afflictiones corporis; quae sponte suscipiuntur à peccatoribus, v. g. maceratio carnis per jejunia, abstinencia à convivis &c. possunt esse utiles modo absit opinio meriti atque satisfactionis, nec saro dum castigatur enecetur, quae in parte ad insaniam usque crudeliter saepe

les saepe sunt Pontificii, cum vel super nuda carne praecinguntur fune, vel incubant cranio, vel cilicio aspero humeros excoriant, vel se concidunt loris, tergumq; sibi vibicibus discriminant.

S. 53. At satisfactiones, quas vocant sacramentales & poenitentias, quae ex sacerdotum imperio suscipiuntur (qui dat remissionem peccatorum ea lege & conditione ut pedibus suscipiat peregrinationem ad quasdam reliquias, aut per dies statos abstineat certis cibis, aut se flagellet; aut nudipes incedat, aut secubet ab uxore, aut mulctam pecuniariam sub titulo eleemosynae exponat,) non nisi ad id inventae sunt, ut Papa populum emungat argento & in corpora ac fortunas laicorum usurpet imperium.

S. 54. Futile est, quod dicit Synodus Tridentina sess. XIV, c. 8. nos per poenas istas satisfactorias fieri Christo conformes. Ubi Christus seipsum scutica concidisse, aut nudis pedibus visitasse reliquias, aut cilicio scapulas sibi excoriasse legitur? Certè qui hac sponte patitur, non Christi crucem fert sed suam.

S. 55. Nihil plus lucrantur hac argutatione: In omnibus Dei actionibus misericordia indivulso nexu juncta est cum ejus justitia. E. Postquam Deus remisit peccata per misericordiam, oportet poenas exigat per justitiam. Anne verò Deus misericordia utitur ergà Diabolos, vel justitia ergà Angelos? Dei quidem virtutes nunquam inter se confligunt, potest tamen exercere actus unius virtutis sine exercitio alterius. Colliderentur inter se justitia & misericordia, si per justitiam puniret peccata, quae per misericordiam perfectè condonavit, inquit Molinaeus l. c. ubi prolixè docet, quod doctrina de necessitate satisfaciendi Deo per poenas, post culpam perfectè remissam, adimat solatium conscientis sensu peccati & ira divina pressis, retundat studium pietatis, injustitia & crudelitatis labem Deo inurat, Christi meritum ingenti contumelia afficiat, Deum de solo detrudat & Papam supra Deum extollat &c.





**D**as ist der Tugend, Arth; Sie bleibet nicht  
verborgen  
Bey dem der Sie besitzt; wenn Sie durch stet  
tes sorgen

Zu letzt erworben ist / so wächst Sie herfür/  
Und bringet endlich hin zur hohen Ehren, Thür.  
Wann dann Herr P<sup>R</sup>O<sup>V</sup>IS<sup>U</sup>S an Ihm bisher  
gespühret

Ein unverdroßner Fleiß, der Ihn so weit geführet.  
Daß Er der Tugend Weg betritt / so fahr' Er fort/  
Er kommet gar gewiß zur Ehren, vollen Pfort.

Dieses setze wünschend dem Hn. Plohsio  
zu Ehren

Ludovicus Gerhardi,  
Holsatus.



**T**Orva DEI facies hominum quàm pectora ter-  
ret?  
Quam gravis iratum res habuisse DEUM?  
Nulla salus nobis, abeunt conamina quævis  
In cassum, quoties detonat ira DEL.


Quò



Quò Numen pactò tandem placetur, & Iram  
Qui favor excipiat! Cives amande doces.  
Conanti, voveo, non desit Numinis aura,  
Placatusq; duit præmia larga polus.

*In honorem Præstantissimi DN. Respondentis,  
Civis & Amici pl. dilecti, scribebat*

Ernestus Kranz / Berl. M.




**D**um Tibi de Cathedrâ libuit proferre loque-  
las;  
Errores lubricos, qui recto à tramite ducunt,  
Prosterne, & Theses, quas Dissertatio gignit  
Publica, mi PLOHSTI intrepidus defendere cura.  
Sic capies fructus: Lauru Te Marchia cinget.

*Hæc paucula Amicitia ergò*

Hieronymus Bremer,  
Werb. Marchic.














**D**as ist der Tugend, Arth; S  
 verbort  
 Bey dem der Sie besitz; wenn  
 tee

Zu lezt erworben ist / so wächst S  
 Und bringet endlich hin zur hohen Q  
 Wann dann Herr PVDHSEZUS a  
 gespüt  
 Ein unverdrohner Fleiß, der Ihn so weit ge  
 Daß Er der Tugend Weg betritt / so  
 Er kommet gar gewiß zur Ehren-vo

Dieses setze wünschend dem  
 zu Ehren

Ludovicus  
 Holfa



**T**Orva DEI facies hominum quam  
 ret?

Quam gravis iratum res habuiffe  
 Nulla salus nobis, abeunt conamina qua  
 In cassum, quoties detonat ira DEI

